

Ad ea igitur, quae superius sunt praedicta, ad debitam et pacificam terrae gubernationem et defensionem inter cetera expediens esse puto, ut ipsius episcopatus Traiectensis ecclesiae vestrae unitas indivisibiliter conservetur, videlicet ut castra, iurisdictiones et districtus per unum tantundem in quolibet iure suo officiatum et non per plures gubernentur. Sic enim pax in terra poterit conservari. Et qui in officiis gubernandis fideles et iusti inveniantur, non de facili, ut praedixi, de officiis illis deponantur, cum saepius ex innovatione huiuscemodi, (f. 247^v) antequam ad noticiam pervenerint debitam, iura, iurisdictiones et districtus minuuntur et pereunt.

Ad vos igitur castrorum castrenses et alios episcopatus Traiectensis milites et armigeros universos nec non opidorum opidanos dirigo nunc sermonem benivole hortando, ut, si volueritis in terra vestra habere tranquillitatem et pacem perpetuam, vobis et filiis vestris atque successoribus necessariam et quam maxime profuturam, hoc unum agite, ut dominis vestris de singulis iurisdictionibus et iuribus suis fidelitas prestetur et fiat. Alioqui, si eos per vos defraudari contigerit, citius ad suspensiones incitantur, et ex hoc formidandum esset, ut multa inconvenientia et pericula maiora sequerentur, videlicet guerrae et discordiae intestinae, quod secundum Augustinum inter omnia bella pessimum, inter dominos videlicet et subditos et consequenter inter milites et armigeros atque inter opida, quorum una pars domino et alia aliis adhaerebit, ut praedictum est. Et sic terra vestra et episcopatus redigeretur in destructionem. Haec experientia didici, quae modo scribo, videlicet in terra Merkensi, cuius factum similiter et dampnum pluribus patet, etiam ut dominus dicit in evangelio¹: 'Omne regnum in se divisum desolabitur'. Quod et philosophus confirmat in naturalibus dicens: 'Omnis virtus unita fortior est se ipsa dispersa'.

Plura de istis scribere et ad ulteriora circa subditos et officiatos verba mea extendere non audeo nec expedire puto, cum terra ista in tantum mihi non constet nec etiam eorum modi. Et quia secundum dictum sapientis difficile est de ignotis iudicare, elegi igitur magis humiliter subsistere quam aliquid temere diffinire. Ad promissum (f. 248) revertens, quo praedixi, de missa audienda quam

1) Luc. 11, 17.